

Dissertatio medica inauguralis de sanguinis missione in apoplexia ab internis causis oriunda ... / Eruditorum examini submittit Robertus Cooper.

Contributors

Cooper, Robert, 1759-
Keessel, D. G. van der 1738-1816.
Rijksuniversiteit te Leiden.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Haak et socios, 1785.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/p96shc6f>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DXSSE RTA TXO MEDICA
IN AUGURALIS

DE

**SANGUINIS MISSIONE IN
 APOPLEXIA AB INTER-
 NIS CAUSIS ORIUNDA.**

QU A M,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI;

DIONYSII GODEFRIDI VAN DER KEESEL,

J. U. D. ET JURIS CIVILIS IN ACAD. LUGD. BAT.

PROFESSORIS ORDINARII;

N E C N O N

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,

& Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto,

PRO GRA DU DOCTO RATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus ac Privilegiis
 rite & legitime consequendis,

Eruditorum examini submittit.

ROBERTUS COOPER,

A N G L U S.

A. B. IN ACADEMIA CANTABRIGIENSI, ET SOC. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

Ad diem IX. Augusti MDCCCLXXXV. H. L. Q. S.

LUGDUNI BATAVORUM,


A P U D H A A K E T S O C I O S.

M D C C L X X X V.


САНКТУАРИИ МИSSIONE
ЯПОНІА АРІНІЯ
NISCVUSIS ORIUNDIA

DIONYSI-CODERII AN DER REESSEL

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library



AMICISSIMO VIRO REVERENDO
GEORGIO CADOGAN MORGAN,
R O B^S. COOPER,
S.



anc tibi dicatam esse volui dis-
sertatiunculam, amice charis-
sime, non ut ingenium quo pol-
les, celebrarem, nec ut omnigenam quā
tuus imbutus est animus eruditionem decan-
tarem; sed, ut palam faciam quantā te colam
amicitiā & benevolentiā, quibus etiam me mu-
tuo complecti haud dignatus es, necnon ut pri-

mi-

mitias studiorum quodammodo vestras, cum
ad artem medicam excolendam tuo praecipue
Hortatus me olim accinxi, tibi referam;
propter hoc suave consilium, atque alia in-
numera Beneficia, Humanitatis tuae Testi-
monia, tibi ex animo sum,

GEORGIOD
R. COOPER.


Devinctissimus

ROB^s. COOPER.

Dabam

LUGDUNI BATAVORUM.

Ad diem 9. Augusti 1785.





DISSERTATIO MEDICA
XNA UGURALIS

DE

SANGUINIS MISSIONE IN
APOPLEXIA AB INTER-
NIS CAUSIS ORIUNDA.

Ex omnibus qui nos undique circumstant morbis, illos praecipue deprecatur gens humana, qui ex improviso invadunt, & aegrotos ad mortem saepissime perducunt; medicos igitur, quibus salus populi suprema lex est, summa ope niti decet, ut horum causas atque naturam probè perspectas habeant, & consilio suo procul amovere possint. „ Ita enim homo fit homini deus, cum Medicus

A

morti

DISSERTATIO MEDICA

morti proximos, ac veluti adjudicatos, atque etiam quosdam qui mortui putabantur, reddidit sanitati” (*a*).

Puta autem medicum hocce argumento ad morbos tales investigandos non excitari, sunt tamen & alia, quae si quid est in illo Ingenii, non possunt non valere. Si causarum varietatem, si modos quibus mortem inferant obscuros, si quaestionem de vitae amissae signis in medio jacentem, si methodos quibus scintillula vitae renovetur incertas adhuc, animadverterit, si, inquam, haec omnia secum reputaverit, animus aestuabit quasi occulta noscendi desiderio, ardua quaeque spernet indefessus, nec a labore desistet, donec naturae leges percepit, veritatemque fuerit consecutus.

Intra viginti proxime elapsos annos, Ars nostra magnum cepit incrementum, instituta de submersis quaestione; exinde magna profluxere commoda, scilicet naturâ melius perspectâ, excogitata fuit medendi methodus & rationi magis congrua, & exitu felici saepius celebranda. Utinam de variis mortis subitaneae speciebus eadem fierit Inquisi-

(*a*) *Lancisi Lib. I. Cap. 13.*

tio, ut non modo rationem quâ vis vitae in submersis deficit, perspectam haberemus, verum etiam modum quo ab aliis causis minus obviis iidem oriuntur effectus; ex analogia enim inter effectus non temere arguitur in actione causarum similitudo.

Hic autem illam mortis speciem subintellegi volo, in quam frequenter adeo definit apoplexia a causis internis oriunda. De hoc morbo multum disceptarunt viri in remedica clarissimi, varias finxerunt Hypotheses, & varia hisce accommodata remedia celebrarunt. Non meum est de singula Hypothesi, vel de cuiusque remedii efficacia decernere: In hac dissertatione ea tantummodo notabo, quae mihi varias medicorum opiniones de V. S. in hujusmodi apoplexiâ instituendâ recensenti, in mentem venerunt.

Apoplexias ab internis causis, in sanguineam & serofam diviserunt auctores, prout sanguinem aut serum in cranio deprehenderunt, ideoque pro causâ morbi, vel sanguinis vel seri redundantiam habuere. Utut vero de causâ consentirent, de Praxi Medici pugnabant: omnes fane in Apoplexia sanguinea V. S. necessariam esse urgabant, in serofâ tamen haud pauci damnabant: quisque

autem qualis qualis esset opinio, ad experientiam provocavit. Hisce nostris temporibus ita, ut plurimum, se res habet; vel etiam in Angustiis magis implicatur praxis ob diversas illustrium medicorum sententias: Culenus in Apoplexia vel sanguineâ vel serosâ V. S. suadet; alii autem magni nominis medici (Heberden & Fothergill) dubitarunt, an, vel in Apoplexia sanguinea, sanguis mitteretur. —

Inter tot tantorum virorum tam discripantes sententias, a medico juniore quaenam instituatur praxis, tantis difficultatibus circumventus quo se vertat? dogmata, quae longo usu reperta sunt, plurimi facere consuetus, a medicis experientiâ & longinquitate temporum edoctis medendi methodos expectat: Hae tamen quantum immane discrepant! opiniones stant aliae contra alias instructae; medicus medico repugnat. Quae cum ita sint, illius est, singulas sententias excutere, quaecunque non tam ad morbi quam ad auctoris ingenium accomodatae sint, illas confidenter repudiare, illasque tantum pro ratis habere, quas ratio bene instituta & analogia fida confirmaverint. Hisce omnibus peractis, si de spe decidat, sibimet ipsi tamen plaudet; nam veritatem indaganti semper laus erit, & in rebus arduis vel voluisse sat est.

Quae

Quae igitur dicenda sunt de V. S. celebrandâ in apoplexia ab internis orta Causis, libere proferam, & quo clarius elucescant, ordinatim disponam.

1°. Igitur agendum erit de Causis morbi remotioribus;

2°. De natura sive Essentiâ morbi:

3°. Inquirendum erit, quid vel ad Causas morbi præveniendas aut amovendas, vel ad statum morbosum corrigendum valeat venæ sectio. —

Hujusce Partitionis ratio exinde patet, quod nullum remedium prodesse potest, nisi illi, a quo actiones laefae pendent, contrarium statum inducat, aut illas Causas a quibus morbus oriatur & praesens pendeat, amovere possit.



C A P U T P R I M U M.

Apoplexiae ut aliūs cujusque morbi, causae remotae in praedisponentes & occasioales sive excitantes distribuuntur; tamen intime adeo inter se conveniunt, ut nemō facile se Jungat. Ita, viclus lautior pro praedisponente habetur causa; impetus irae effraenatus pro excitante; & proculdubio Homo gulæ deditus, si furore excitatus fuerit, magis est ad apoplexiā proclivis, quam qui parce vixerit. Sed annon iracundus aequē proclivis est, si crāpula excitaverit? Certe quidem, constat ergo distinctio non re ipsā, sed nomine tantum: hāc igitur omissā divisione, sat erit, si quā ratione morbum inducere possint causae istae, quibus apoplexiā internam tribuerunt auctores, explicare potuero.

Huncce morbum senibus utriusque sexūs fere proprium esse omnes auctores uno ore consentiunt (*V. Lan. Lib. i. C. 20.*) Senectuti igitur insoliti aliquid inesse crediderunt, quod tam diros ederit effectus. Alius serum

acre,

acre, alias acrimoniam atrabilariam, hic crudos Humores, ille arterias in sennibus sicciores pro causa agnoscit (V. com. VAN SWIETEN vol. 3. p. 274. &c. WEPFER p. 276. & 218.) Hacce nugas splendidiores non amplius miramur, nec opus est ut serio refellam. Est autem alia theoria digna quae accuratius perpendatur, sive famam, sive ingenium auctoris celeberrimi spectemus. Haemorrhagiarum Pathologiam Experimentis, ab ingenioso Wintingham institutis, de arteriarum venarumque in animalibus aetatis diversae densitate proportionali, suffulcire conatus est Cullenus: ab iisdem Experimentis Ratio ducitur, cur frequentius senes Apoplexiâ tententur. Si concedatur Experimenta accurate admodum perfecta fuisse, haud tamen omnia Culleni conjectaria exinde profluere videntur: His itaque nequaquam assentio. Omnibus jam pridem perspectum est, Theoriis medicis, quae a Legibus Hydraulicis pendent, quantula sit habenda fides. Errores, quibus Jatro-mathematici rem medicam deturparunt, illius Pathologiae suspicione jure movent, in qua illarum facultatum quae animatam ab inanimi materia distinguunt, non habetur Ratio; Praxis quoque quae hâc Theoria duce, instituenda esset, quaeque a Docto Professore plurimum laudatur, de Theoriâ ipsâ nos addubitare coget.

coget. Haec enim ad V. Sectionem celebrandam dicit in Paralyssi aequa ac in apoplexia, quamvis longa Experientia aliam methodum prorsus diversam commendarit. Non alia hujusmodi objiciam, verum quibus fundamentis ipsa Theoria nitatur accuratius exquiram.

Quamvis Experimenta pro veris habeantur, haudquam clare demonstrant, Plethoram venosam revera existere: Etsi densitas & aucta inde arteriarum resistentia majores sint in senibus, quam in iis quos nondum aetas firmaverit, ad hanc rem stabilendam tale argumentum paululum valere potest, nisi simul eadem maneat, aut paullum tantummodo minuatur per totum vita curriculum quantitas sanguinis: Hoc tamen negant Physici. „Quare nutritio nunc labascit; plus enim est, quod ali oportet, & minus est humoris qui nutriat”. (*Hal. Pr. Lin.*) Ergo non Plethoram in senibus venosam, sed arteriarum venarumque inter se rationem diversis temporibus variare solummodo probatur.

Concedamus autem Plethoram venosam existere, & videamus quo serpit argumentum: hac praesente ad Apoplexiā corpus humanum est proclive; si haec causa tantum valeat, corpus eidem morbo opportunum reddere valebit

bit Plenitudo arteriosa: ita saltem mihi videtur; & argumenta ab illius opinionis fautoribus allata hanc suadent sententiam. Sanguinis ex arteriis in venas Influvio Plethora venosa resistit, unde fit in arteriarum partibus extremis nimia distensio, quae cohaerentem firmorum simplicium vim tandem superans, vascula quaedam perrumpit, & sanguis effunditur: aliquando tamen non sanguis per arterias effluit sed per vasa minima ampliata exhalatur serum (*v. Cull. First Lines §. 111.*) Plethora itaque venosa non ideo metuenda est quod venas perrumpit, sed quod venarum renixu sanguis in arteriis accumulatur: attamen priore vitae tempore, (secundum eandem theoriam) idem est status arteriarum qui tam funestos edit effectus in senibus: a primis annis usque ad vitae, ut ita dicam, meridiem, sanguini arterioso venae densiores resistunt; ergo Apoplexia certe tunc temporis aequa expectanda esset, ac in aetate fere exactâ; praecipue quoniam per quindecim hujusce temporis postremos annos, a vigesimo scilicet ad annum trigesimum sextum, densitas arteriarum ea est, quae vi sanguinis renitenti potenter admodum resistat, & dirruptionem inducere valeret (*v. Cul. Tom. 2.*) Rara autem hac aetate Apoplexia; an quia causae excitantes non agant? minime hercle. Unquamne violenter adeo agitatur animus

ac in Juventute? Juvenis nunc Irâ furit, nunc gaudio exultat, nunc venere flagrat; impletur veteris Bacchi, indulget stomacho; strage animalium ventrem onerat, & miscet conchylia turdis; & cursu & praelio strenue laborat; varias caeli mutationes patitur, denique omnibus causis quae apoplexiam senibus inducunt, Juvenis ferè perpetuo afficitur, neque dat paenam. Patet igitur illas causas, quae ad apoplexiā inducendam sufficerent, quandocunq[ue] sanguinis abundantiam venae acceperint, hoc est, post annum trigesimum sextum, patet, inquam, has ipsas causas non modo adesse verum earum quasdam etiam multo majorem antè quam post vitæ meridiem vim exerere: Apoplexiā igitur ab internis causis saepius ante quam post hoc tempus invadere oportuisset. Quum vero longe aliter se res habeat, uti dudum exiperientia docuit, annon licet inde colligere, alias esse ab hujusce Theoriae fautoribus praetermissas conditiones, quae ad apoplexiā in senibus gignendam plurimum faciant: atque etiam Plethora venosam solam ad rem explicandam minimè idoneam esse.

His itaque praemissis, inquirendum erit, annon verisimile sit, mutationes istas (quibus progrediente vitâ, solidam viva, sive eae partes solidae, quae sensu & mobilitate gau-

dent,

dent, subjiciuntur) inter primas causas habendas esse, quae in senectute quam alio vitae tempore hunc morbum, de quo agitur, frequentius inducant. Infantulus jamjam natus sensibilitate majori, & irritabilitate gaudet; hae vero gradatim minuuntur, & in senectâ Irritabilitas languescit, & sensus occalescunt (*v. Cul. Inst. & HAL. Prim. Lin.*) Stimulos qui systemate nervoso vigente, grātē tantummodo afficerent, senes non amplius perferre possunt; sed, Ebriosus vigente vita Tricongius, vel paucis meri Poculis jam titubare videtur; hujusce vis virium immunitae ratione habita, variatur in Praxi faciendâ medicamenti dosis. „Senes bis pueri, ut viribus & victu, „sic & medicamentis: unde octuaguarium cum puero „primi Septennii comparare forsan licet” (*G A U B. de Form. con. pag. 20.*) multa quoque apud autores narrantur Historiae de senibus, dum veneri indulgerent, in ipso actu prae voluptate extinguis; ne Juvenem semel sic occidisse accepi: (*W E P F. de Apoplex. p. 487.*) alia ad argumentum firmandum Exempla compluria, ni longus essem, adduxisse licuisset, sed dicta sufficient. Est quoque admodum verisimile causas in ipsum agentes cerebrum vim nervosam in senibus facilius turbare, infirmare, perdere

quam in Junioribus. Si Hydrocephalum internum respicias, haecce sententia quodammodo stabiliri videtur. In hoc morbo probabile est aequē cito ac in Apoplexia senili Humores effusos esse, cerebri tamen functiones vix interruptae pendent. E contra autem auctā in senibus quantitate sanguinis, sequuntur Vertigo, Torpor, & alia symptomata quae apoplexiae toties praenunciū sunt, vel potius ipsa levem quandam apoplexiae speciem efformant. Neque tamen in aetate proiectiori vis nervosa tantummodo mutationes subit, sed minuitur quoque vis arteriarum contractilis, adeo ut ad agendum aegrius incitentur. Hoc clare evincunt pulsūs & actionis muscularis Phaenomena, necnon Experimenta de Fibra motrice, quae, cum omnibus innotescant, enumerare supervacaneum esset. Hanc propter Irritabilitatem imminutam facilius, ut mihi videtur, distendentur & rumpentur arteriae, necnon vasā exhalantia serum citius effundent. Et quoniam competum est Musculum illā praeditum, pondera longē majora sustinere posse quam post ejus privationem, concludimus, quod eādem ratione, qua minuitur Irritabilitas, fibrae motrices ad inanimis materiae naturam proprius accedunt, ideoque facilius distenduntur aut rumpuntur.

Talis est in senibus vis nervosae & irritabilitatis ratio, quae, etiamsi sola non sufficiat ad explicandum, cur vasa cerebri distensa vel rumpantur, vel serum effundant, unde fit Apoplexia, explicabit tamen cur aliae causae huic conjunctae facillime morbum faciant; vel, ut aliter verbis exprimam, cur illae ipsae causae quae in aetate integra morbo inducendo non essent, nunc certo certius inducant.

Causae apoplexiā inducentes (de quibus postea differemus) vel in ipsum cerebrum immediate agunt, aut mediante sympathia inter cerebrum & corpus universum, vim ejus nervosam afficiunt; vel ipsa vasa cerebri primario afficiunt. Quomodo cunque agant, eosdem Effectus edent ultimatum: scilicet a natura sancitur inter corporis vivi diversas partes consensus mirabilis. „ Ut ait Hippocrates „ (*de alim. n. 4*) Consensus est unus, conspiratio una, con- „ sentientia omnia ”. Causae igitur quae vim nervosam minuunt, vim quoque arteriarum contractilem minuunt; Ita, membrum paralyſi laborans, fero effuso saepe scatet (*vid. Cull. 1656.*) In cerebro etiam propter vim nervosam imminutam stagnant, vasa rumpunt, effunduntur, Humores. (*Cull. 1120.*) Ex his dictis concludere licet, vi nervosa minutâ, arteriarum quoque Cerebri irritabilitatem iri imminutam,

hanc quoque sententiam firmabit Effusio toties visa in illo-
rum cerebro, qui morbis cerebrum affidentibus confecti mo-
riuntur, sive subito, sive gradatim supervenerit imminutio.

Vasorum cerebri irritabilitas quoque primario minuetur,
aucto versus illa sanguinis influxu: actio autem anteriorum
violentior, quae hunc impetum consequitur, secundum
Legem notam cui systema paret, debilitatem proportiona-
lem inducit: nequit ergo dubitari, quin in hoc rerum
statu, propter consensum vim nervosam inter & Irritabilita-
tem, non modo Irritabilitas ipsa afficiatur, sed etiam mu-
tetur quodammodo vis nervosa cerebri.

His igitur praemissis de modo quo causae apoplexiā
inducentes agunt, & de occasionibus quae occurrenti mor-
bo in senectute faveant: de iis causis sigillatim dicen-
dum est.

Primo igitur, causae quae systema vasorum primario
afficiunt, apoplexiā ideo inducunt, quia vasa cerebri
aut distendunt, aut rumpunt atque ita fit compressio.
Inter causas ita agentes enumerare licet cervicem brevio-
rem, vel Caput pro ratione corporis prae grande, con-
cretiones in sinibus cerebri, in vena cava, vel dextro
cordis ventriculo polyposas, ligamina circa collum ve-

nas comprimentia, vel in collo tumores, capitis retrorsum averstationem, capitis proclinationem, & illa quae sanguinis per pulmones circuitum incommodum reddant, denique omnia quaecunque vel aortam ipsam descendenter vel ramos ejus majores comprimendo coarctent. Haec & alia hujusmodi, quae vel sanguinem per venas reditum impediunt, vel Influxum ejus per arterias versus caput promovendo, quantitatem sanguinis in cerebro adaugent, Apoplexiae certissime faveant vel etiam ipsa morbum inducunt. Modus quo singula causa effectus edit, idem est, etiamsi vel vi vel agendi celeritate paullum forsan intersit, reddit ergo de unius actione ratio, mutatis mutandis, omnes illustrabit. Modum itaque quo ad Apoplexiā proclivitatem gignat collum breve, deinceps explicabo.

In iis qui collo breviore gaudent, minus intercedit spatii per quod sanguis a sinistro ad dextrum cordis ventriculum circulando feratur; eadem tamen quantitas in eodem tempore, caeteris paribus, versus caput impellitur: sanguinis igitur, pro ratione vasorum, major copia extramodum stimulando, & vasorum irritabilitatem, & vim cerebri nervosam citius minuat necesse est, quam in aliis,

quae

quae tanto stimulo haudquaquam subjiciuntur, vasis. Vasa igitur stimulo fortiore exercita citius occallescunt, unde facilis distenduntur aut rumpuntur, & constituitur Apoplexia. Variat equidem tempus accessionis pro vi & numero causarum quae admotae fuerint: Ita homo hâc formâ praeditus qui parcè vivit, omnes causas sedulo vitando, à morbo prorsus immunis erit, vel non ante succumbet, quam senectus ipsa, vim nervosam & Irritabilitatem minuendo, fiat exitio. Contra vero si sit ebrietati & gulæ deditus, morbo citius obnoxius est; & quamvis vitae ακμή attigerit, ante senectam certo certius obruitur.

Duae aliae quae apud auctores enumerantur causae huic morbo faventes, obesitas scilicet & Evacuationes solitae suppressae, si tantum valeant, inter illas causas de quibus nunc agitur, locum habent.

Quod ad obesitatem attinet, quoniam a desidiâ & viatu lautiori fere plerumque proveniat, harum actioni potius forsan referenda est Apoplexiae in obesis frequētia. Si vero per corpus adipem gravatum sanguis difficultius feratur; pleniore rivo ad cerebrum deferetur: unde arteriarum Irritabilitas citius hic quam alias minuetur quae,

quae, quomodo morbo favet, jamjam dictum fuit. — Evacuationum quoque, sicut Hæmorrhoidum suppressio, annon potius designet sanguinis versus cerebrum determinationem aliquamdiu extitisse quam pro causa determinationis habenda sit? Sed esto sane causa: Cuncta jam vasa sanguine magis implentur: & si vasa cerebri antea debilitata fuerint, aucta vi sanguinis vel distendantur vel rumpantur, unde Apoplexia fiet.

Nunc eas causas enumerare pergam quae vim nervosam cerebri recte aut immediate imminuendo, morbi occasionem gignant, vel etiam ipsae morbum faciant, quales sunt, Ira effraenata, Crapula, Ebrietas, Calor externus, præfertim in magnâ hominum frequentiâ, de Re difficulti Meditatio indefessa. Aliquis forsan dubitabit, an ne hae causae inter eas apte enumerentur, quae cerebrum comprimendo Apoplexiam faciunt; neque ibo Inficias eadem vel distensionis vel effusionis signa videri post mortem a venenis quibusdam, uti aere fixo, illatam, quae solummodo propter vim nervosam imminutam accidisse videtur. Quoniam vero ab aliis auctoribus inter causas quae Apoplexiam comprimendo faciant, enumerantur, & quoniam raro morbum inducere valeant, nisi aliae quoque

causae adfuerint, nec mortem inferant nisi impetu saepius iterato vim nervosam infirmaverint, idcirco pro causis hujusce Apoplexiae speciei saepius habeantur.

Quandocunque morbus gradatim adeo supervenerit, cerebrum ipsum primario afficitur; subsequitur autem vasorum Irritabilitas imminuta, quae fit causa morbo inducendo idonea.

Ira, uti omnis mentis affectio, agit in cerebrum; exinde vis nervosae & Irritabilitatis actio fit concitator: hanc excipit, pro stimuli ratione, debilitas, est enim corporibus nostris lex insita, quæ fit ut Incitatio collapsum pariat; & quo major illa fuerit, eo magis amoto stimulo vires labascunt. Quisque Irae impetus repetitus viribus nervosae & insitae aliquantulum demit, donec vasa tandem cerebri a carotidibus acceptum sanguinem tardius promovere valent; Humores accumulantur, & iterato Irae impetu, vel aliâ quâcunque causâ, quae vim nervosam minuat, vel sanguinis molem augeat, admotâ, fit Apoplexia.

Ebrietatis & Crapulae fere eadem actio est; singula vim nervosam afficit, illa tamen impensis; singula quoque distendendo stomachum, copiam sanguinis majorem

versus Caput impellit : manu vero stomachus distentus re-
deuntem per venas sanguinem , aortam descendenter
comprimendo, impediat, multum dubito. Quum aortae
situm respiciam , & stomachum distentum antrofum
& sursum non retrorsum premere animadvertissem , Ego
sanè existimarem Diaphragma potius compressum iri, un-
de Cavo Thoracis coarctato sanguinis per Pulmones Cir-
citus impediretur , & in vena cava superiori capitisque
vasculis accumularetur sanguis: Hae causae igitur bifariam
agunt , & ad morbum inducendum plurimum valent, adeo
ut nil mirum videatur eas inter apoplexiae causas fu-
nestiores toties enumerari.

Calorem, extenuando sanguinem, in corpus humanum
agere minimè credam, nec alii causae nisi caloris in vim
vitalem actioni, languorem & laxitatem attribuam. Calo-
ris Gradus, corporis Humani minor, ad haec sympto-
mata parienda sufficit, neque aliquis facile dixerit huncce
gradum extenuare sanguinem.

Quodvis fluidum 98°. in se continens , gradum altio-
rem non pertinget si in aere 98°. reponatur: ergo am-
plius extenuari nequit: Igitur Calor non agit in sanguinem.
Si vero solidum vivum stimulet, & sanè stimulare

dixeris, si modo Inflammationem quam in corpore sano excitaverit, & Phrenitidem solis Jctu, ut dicitur, subortam, animadverteris, haud difficile erit explicatu, cur Apoplexiae inducenda faveat.

Meditatio indefessa cerebri atque vasorum ejus vires minuit, non autem opus est ut dicam quomodo vi vasorum imminutâ oriatur apoplexia. — (vide V A N S W I E T. 1010.)



C A P U T S E C U N D U M.

Reddita ita causarum, quae Apoplexiā saepissimè inducunt, ratione, de Morbi Naturâ pauca differam. Ut haec clarius elucescat, Phaenomena, quae factâ in cerebrum compressione notantur, perpendamus. „Non amplius oculus tum videt, neque auris audit, neque manus, neque Pes ullum suum officium facit, & quod maximum est, ne Ratio quidem ipsa tantum possit, ut aegritudinem suam agnoscat” (W E P F. p. 480.) Is denique cerebri nervorumque status inducitur, qui functionibus suis ritè perficiendis minimè conveniat: & quo diutius duraverit, eò difficilius amovebitur. Imminutâ autem vi nervosâ, fibrarum motricium Irritabilitas quoque paullatim decrescit; eadem Phaenomena quae in musculo a corpore exciso fieri videmus, in systemate arterioso observantur, pulsus ingruente Paroxysmo lentè & validè micat: illo durante, vis contractilis gradatim minuitur & frequentius perficiuntur contractiones: tandem vero hac vi declinante

motus fit tremulus vixque percipiendus. Et quemadmodum non dubitandum est quin haec Phaenomena in musculo a corpore exciso pendent a vi contractili gradatim aufugiente, tandemque omnino deperdita; ita similia in systemate arterioso Phaenomena ex eâdem profluere causâ concludere licet. Morbi igitur Natura talis est corporis status, qualis vis nervosae & Irritabilitatis actioni debitae non aptè conveniat.



C A P U T T E R T I U M.

Nunc autem apoplexiae causis atque natura expositis, inquirendum est quid ad causas ejus amovendas sive naturam corrigendam valeat venae sectio. —

Ab argumentis jam prolatis liquido constat, apoplexiā ab internis causis scilicet compressione subortam, vel distensione vasorum, vel sanguinis aut seri a vasis effusione fieri posse, distensionem vero aut effusionem a vi vasorum contractili imminutâ pendere, quae ideo quantitatem sanguinis auctiorem promovere nequeant. Forsan nefas erit dijudicare, anne distensione tantum aut sanguine effuso morbus excitetur, vel an sanguis an serum effundatur. Quum vero de Diagnosisi differere non mihi mens est, quippe qui tantummodo demonstrare velim an pro causarum, naturaeque morbi ratione commode celebretur venae sectio, hanc quaestionem praetermittam. Puta itaque vasa cerebri distendi; an recte sanguis mittatur? Medicis est distensionem, si fieri possit, minuere; & ad hoc

con-

consilium explendum non aliud remedinm tantundem valet ac venae sectio.

Aliquis forsan dixerit: Quid? annon dixisti modo, a vi resiliendi imminuta distensionem pendere? Annō vero Irritabilitatis vires imminutas magis magisque minuet V. S.? Annō hoc clare evincunt animalia, hoc „Balsamo vitae”, ut ait Helmontius, amissō, mortua? Certe quidem: sed secundum nostram Theoriam diminutio ideo fit periculose plenum opus aleae, quod per vasa cerebri magis quam per alia obtingat; ergo quo magis vires systematis exaequare potueris, eo certius amovebitur compressio; & ad hunc statum conciliandum, me judice, venae Sectio valet: sanguinis etenim copiam minuit; vim quoque, quā in vasa cerebri propellitur, minuit: haec itaque minus distenduntur, atque ideo contractilitatem amissam quodammodo recuperare possint. Neque tamen sanguis mittatur si vasa distenta illas dotes, quae solidis vivis propriae sunt, sive fibrarum muscularium tonum, amiserint; Hoc tamen vix fieri potest, nisi vasa jamdudum distenta fuerint, & mors in propinquuo sit: tunc autem nequaquam celebranda est V. S. ob aliam causam; vis nempe vitalis, compressione forti tamdiu laborans, fere p̄riit,

rit, hoc autem stimulo subducto, quaecunque vitae scintilla maneret, pessumdetur, necesse est. Neque sanguis mittendus est, si ante morbi impetum tantum debilitatus esset aeger, ut paucis sanguinis unciis amissis mors ipsa fuisset metuenda. — Quandocunque vasa rupta in cranium sanguinem effuderint, anceps sane remedium esse videtur V. S. Fere plerumque vasa tantum minima rumpuntur, diruptio autem fit quasi stimulo, qui arteriolam, si modo solidi vivi dotibus adhuc gaudeat, ad contractionem incitet, unde sanguinis profluviū sistatur: vel etiam Thrombus sanguine effuso oriundus, vasculi minutī osculo forsan occludat; venae sectio igitur ad sanguinis profluviū sistendum prorsus supervacanea videtur; Ego sane dubitarem quoque annon multum damni adferret, vasorum absorbitum, quae sola, ut mihi videtur, compressionem & Apoplexiā inde pendentem amovere valent, actionem infirmando.

In diathesi leucophlegmatica si vase exhalantia relaxata in cāvum craniī serum effuderint, nemo sane V. S. suaderet; ubi vero nulla nisi cerebri vasa exhalantia debilitantur, sanguis missus, arteriarum in vase exhalantia

humores promoventium actionem imminuendo, & forsan prospicit, habita tamen distensionis & vasorum absorbentium ratione.

Quod ad morbinaturam attinet, si, ut modo dixi, virium vitalis & sentientis diminutione constet, ad hanc corrigendam nihil valet venae sectio, quae unobtrusius omnium medicorum consensu, ad hasce conditiones amovendas adeo non potis est, ut etiam ipsas inducat. Quoniam vero haecce gradatim fiat diminutio, haud quaquam improbanda est sanguinis missio, quandocunque verisimile videatur hocce remedio amoveri posse compressionem.

T A N T U M.

Ploribus supereracuas videtur; Hoc iisque dubitatem duo-

-dilecti. Aspernitur seplorpen-
-tum, ut non impinguem
-tur. Abq[ue] exsiccata
-corporis, coquidetur, ut
-natur. Cuiusmodi sunt
-admiranda.

Abq[ue] exsiccata
-corporis, coquidetur, ut
-natur. Cuiusmodi sunt
-admiranda.

Abq[ue] exsiccata
-corporis, coquidetur, ut
-natur. Cuiusmodi sunt
-admiranda.

Abq[ue] exsiccata
-corporis, coquidetur, ut
-natur. Cuiusmodi sunt
-admiranda.

